



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. De tempore, quo præscribuntur jura servitutum, obligationes & actiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tus in tali Ecclesia præscribere intra tempus relatum, cum verisimile sit illos fuisse fundatores: si autem Ecclesia libera non est, sed constat, illam Patronum habere, tunc jus Patronatus à Laico contra verum Patronum præscribi potest cum titulo colorato 10. annis inter præsentem, & 20. inter absentes; sine titulo autem annis 30. prout alia bona immobilia, & jura contra privatos præscribuntur, neque enim ut sic contra Ecclesiam præscribitur, cuius parùm interest hunc vel illum habere Patronum. Quid autem hac in re statutum hodie sit in Tridentino, in titulo de jure Patronatus videbitur.

§. VII.

De tempore, quo præscribuntur jura servitutium, obligationes & actiones.

Servitus mixta, quæ à re debetur personæ, uti est ususfructus v. g. usus & servitus merè realis, quæ à re rei debetur, sive affirmativa illa sit sive negativa, sive rustica sive urbana, cum bona fide & titulo inter præsentem 10. annis acquiritur, inter absentes 20. annis, sine titulo annis 30. nisi servitus continua aut quasi continua fiat sciente & patiente Domino, ad quam taliter præscribendam etiam sine alio titulo sufficiunt 10. anni inter præsentem, & 20. inter absentes; aut sit discontinua, quæ sine titulo non præscribitur, nisi tempore immemoriali, ita tamen ut ad hanc præscriptionem non requiratur scientia, & patientia Domini. Amittuntur verò per præscriptionem servitutes, reales quidem rusticæ per solum non usum, 10. annis inter præsentem, & 20. annis inter absentes. Urbanæ ve-

rò per non usum & positivum actum præscribentis contrarium servituti debent; prout variis juris sui textibus probant Civilistæ, quos consule, tam de servitutibus præscribendis, quam de actionibus & obligationibus, quorum tempus præscriptionibus talibus necessarium.

§. VIII.

Quomodo præscriptio temporis memorialis, & centenaria inter se differant, & qualiter utraque probetur?

Immemorialis possessio dicitur illa, cujus initium hominum memoria non cedit, hominum scilicet qui cum vivunt, præscribitur autem excedere hominum memoriam, quod excedit 100. annos, qui est in ordinariè vitæ longævæ hominum præscriptio immemorialis in eo differat à centenaria, quod hujus præscriptio nis sit certus terminus, & non requiratur ignorari hujus initium, illius verò immemorialis præscriptionis non sit certus terminus, & non sciatur, quando cepit. Quin etiam differant inter se modo probandi, quamvis enim utraque per testes probari possit, potest tamen centenaria etiam per instrumentum publicum probari, ex quo de possessione 100. annorum constat, & immemorialis ut legitime per testes probetur, debet hi deponere, quod hæc ita esse à majoribus viderint & audierint; nequam contrarium viderint vel audierint; & quod communis semper opinio & fama publica fuerit, rem ita esse habere; & ex probabili debent hi testes 54. annorum esse, qui de 40. annis